

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae IV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

est ea restitui, quae, cum Milonis damnati bona in auctione venirent, emerat. sic lib. 2. de Offic. c. 1. *Existimavi, honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem.*

Miloni absenti] Massiliae exfuebat. Pedianus, Dio, et alii.

Eiusque necessariis] Ad quos Milo scripserat, ut a Philotimo sua bona redimerent. vide lib. 5. ad Attic. epist. 8. ex qua epistola satis constat, ipsum etiam Ciceronem partem Milonis bonorum, emptam in auctione, possedisse: de qua parte recuperanda non videtur Milo laborasse, vel amicitiae causa, vel quod pecuniis, ut arbitror, non abundaret.

Existimatio ERN. *Aestimatio tua*] Aestimauerat Cicero, quantum Philotimo, pro eius fide ac sedulitate Milo daret: idque ipse Philotimo promiserat: itaque sic ad Atticum scribit: *Statues, ut ex fide, fama, reque mea videbitur.* quo in loco vide quae diximus in Commentario.

Aliquod σύνταγμα] Si Latine veritas, proprie σύνταγμα compositio est, a συντάττω. liber significatur accurate scriptus. nam ὑπόμνημα, Latine commentarius, ex tempore

et sine studio conficitur. lib. 12. ad Attic. epist. 45. *Ego hic duo magna σύνταγματα absolui.* quo loco duos Academicos, et quinque de Finibus libros indicat. Et Simplicius ἐν τῷ α τῶ ἑβανῶ, ἀκροματικά καὶ συνταγματικά, ait esse σπυδαύτερα.

Homini non inepto] Cum ioco dixit: quasi, qui aliena industria sui nominis famam quaerat, non ineptus omnino sit.

Monumentis] Scriptis. alibi, *litterarum monumenta, annalium monumenta.*

Exstare] Subauditur, in mentem venit: id est, ideo venit hoc in mentem, ut exstaret aliquod e scriptis tuis, quod posteris etiam nostram amicitiam declararet.

Nostrae amicitiae] Artificium, ut impetret. non, inquit, me gloriae studium, sed testificandae apud posteros amicitiae nostrae cupiditas in hanc mentem adduxit.

Omnem nostri disciplinam] Omnem doctrinam scientia comprehendisti.

Genere] Quod argumentum deligas, monendus non es: genus tamen id sit, quod nec a mea persona alienum videatur, et aliquid doceat, quo libentius legatur.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Varium est, si spectentur sententiae, huius epistolae argumentum: si genus, totum negotiale. nam de Messalla damnato, quem ante scripserat absolutum, de C. Marcello consule designato, M. Claudio absoluto, Dolabella XVviro creato, Lentulo repulso, condemnato Servio tribuno pibus designato, Curione eius locum perente, Coellus significat. adiungit de comitibus et praetoriis, et suis aedilitiis: quid actum sit in senatu, quem in Caesarem Pompeius animum ostenderit. claudit epistolam commendatione rerum suarum.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Messallam] De quo epist. 2. Cognomen a Messana capta: ideo scribitur geminata *l*, quod lapides Capitolini veteres, praeterea nummi seruant: idque postulat analogia. Sic enim a Messana deducitur *Messalla*, vt a Corona *Corolla*, Catena *Catella*, Fiscina *Fiscella*.

Condemnatum] Ideo dixit epist. 2. *Relictus lege Licinia, maiore esse periculo videtur.*

C. Marcellum] M. Marcelli, vt ait Suetonius, fratrem patrualem; quem nemo consulem expectabat, ex quo illud in epist. 2. *De comitiis consularibus incertissima est existimatio.*

M. Claudium] M. Claudius consul erat hoc anno cum Ser. Sulpicio. itaque nec in eum repullae, nec accusationis mentio conuenit, nisi si alium M. Claudium putemus intelligi. quod si ita esset, omnino distinguendi gratia, vel cognomen, vel patris praenomen, vel notam aliquam Coelius addidisset. placet igitur, quod Corradus sensit, *Calidum*, pro Claudio, et *Gallius*, pro Gallis: vt sit M. Calidius orator, a duobus fratribus Gallis accusatus. quod eo verisimilius videtur, quia ipse quoque eorum alterum, Q. Gallium, accusauerat, quem Cicero defendit. constat ex libro de clar. orat. in quo c. 80. sunt haec: *Memini, cum (M. Calidius) in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum parauisse, idque a se esse deprehensum.* idem legimus in Valerio lib. 8. c. 10. idem hic epist. 9. Coelius significat his verbis: *Calidius in defensione*

sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus. Sunt, qui legant, *a Gallis duabus*: et M. Claudium putent ab vltiore et ceteriore Gallia accusatum, in quo primum discedunt et a Mediceo, et plane a scriptis omnibus libris, in quibus est, *duobus*, non *duabus*: deinde nulla nituntur historia. nam, si accusatur a prouinciis, certe repetundarum. vtrique igitur Galliae praefuerit, necesse est, quod nemo prodidit. nec omnino cuiquam, ante C. Caesarem, administrationem vtriusque Galliae mandatum existimo.

A repulsa] Post repulsam consulatus. praetor enim Calidius fuerat Lentulo et Metello coss. oratio demonstrat in senatu habita post reditum c. 9.

Postulatum] Reum factum. epist. 6. 8. 12. fortasse de ambitu: siquidem post repulsam postulatus est.

P. Dolabellam] Corneliae gentis, patriciae; qui postea gener fuit Ciceronis. accusauit Appium de ambitu. epist. 6.

Quindecimviri] Quindecimviri custodiebant libros Sibyllinos, a Cumaea Sibylla, Prisco regnante, Romam allatos. *fatales* vocabantur, quod fata, id est immutabilem Iovis voluntatem, praedicarent. ad eos, quasi ad Oraculum, quindecimviri adibant, cum dii immortales publice consulendi essent. historiam Gellius lib. 1. c. 19. ex antiquis annalibus exposuit. Dio lib. 39. sacerdotes nominat custodes horum versuum, Cicero interpretes, lib. 1. de Divin. c. 43. Quo in loco de-

*cemuiri, non quindecimuiri, appellan-
tuntur. sed veritatem aperit distin-
ctio. nam superioribus temporibus
decemuiri Sibyllinos libros
custodiebant; Ciceronis aetate, at-
que etiam post aliquot saecula quin-
decemuiri. quod Ausonii poetae
in Grypho versibus (Edyl. 12. 85.
seqq.) constat:*

*Et tres fatidicae nomen commu-
ne Sibyllae,*

*Quarum tergemini fatalia car-
mina libri,*

*Quos ter quinquorum seruat cul-
tura virorum.*

Suetonius in Iulio c. 79. *libros fa-
tales* vocat.

Lentuli Cruris] Fortasse is est,
qui anno sequenti consul designa-
tus est. potuit enim et *Crus*, et
Cruscellus nominari.

Descenderat] In campum Mar-
tium, ubi comitia creandis sacer-
dotibus lege Atia fiebant: cum
eam potestatem T. Atius Labienus
a collegiis ad populum transtulisset.
qua tota de re diximus in li-
bro de Legibus.

Nostri equites] Quorum studia
Coelius amicissimo suo Dolabellae
adiunxit. *Nostri* autem, quia Coe-
lius et Cicero equestri loco nati,
id est parentibus, qui supra eque-
stris ordinis gradum, id est ad se-
natoriam dignitatem, numquam
adscendissent.

Designatum tribunum plebis] *Ergo*
comitia tribunitia ante prae-
toria et aedilitia fiebant; quae
nondum esse facta, paullo post ma-
nifestum est, ante consules etiam
designabantur tribuni plebis, quod
lib. 1. ad Attic. epist. 1. testatur:
primique omnium magistratum in-

ibant IV. id. Dec. cum reliqui
omnes magistratus Kal. Ian.

Condemnatum] De ambitu quod
tribunatum plebis largitione con-
secutus esset.

Magnum metum] Quod inque-
to esset ingenio, et ab eloquentia
paratus. Coelius tamen, eum pro-
pter amicitiam excusans, ait: *qui
eum facilitatemque eius non norunt.*

Vt se ferit ipse] Vt se ostendit,
vt videtur.

Bonos et senatum] Quos primo
tribunus plebis defendit: mox ad
Caesaris partes transiit, corruptus,
Appiano teste, amplius MD talen-
tis. epist. 6.

Vt nunc est] Sic Cicero lib. 12.
ad Attic. epist. 29. *Quae si mane-
bunt, quaerenda erit excusatio ad
Brutum; et, vt nunc est, mansurae
videntur.*

Hoc seaturit] Quasi ebullit hanc
rem, vt Seruii locum obtineat,
proprie *solum scaturire fontibus* di-
citur: sed cum accusandi casu ve-
teres interdum vsi sunt. Plautus in
in Pers. Act. 2. Sc. 1. v. 9. *Id tuus
scaturit animus.* Lucretius et cum
genitius vsus est lib. 5. v. 40.

— *Ira ad satietatem terra fe-
rarum*

Nunc etiam scaturit. —

Similiter lib. 5. de Fin. c. 27. Ci-
cero: *Dixerit hoc idem Epicu-
rus, semper beatum esse sapientem:
quod quidem solet ebullire non-
numquam.*

Initium et causa] Ideo tribu-
natum plebis petit, vt contra Cae-
sarem agat, a quo contemptus est:
cum antea tribunatum minime co-
gitauerit. quod Cicero significat
lib. 2. epist. 7. in eo loco, *cum te
tribunum plebis isto anno fore non
putarem.*

Infima.

Infimorum hominum] Plebem sibi tribunosque plebis Caesar adiunxit, quod intelligeret optimates cum Pompeio sentire. epist. 14. *In hac d. scardiu*, inquit, *video, Cn. Pompeium, senatum, quique res iudicant, secum habiturum: ad Caesarem omnes, qui cum timore, aut mala spe viuunt, accessuros.* Quamquam non infimos tantum homines, verum etiam sequentis anni consulem L. Aemilium Paullum magna pecuniae vi, qua basilicam Aemiliam extruxit, ad suam causam traduxit.

Valde] Cum dixerit, *non mediocriter*, cur subiungit, *valde*? fortasse, ut magis augeat: ut cum dicebant, *vehementer etiam atque etiam.*

Contempsit] Maiore impensa, Curione tribuno plebis, cum eum quoque minime cum infimis conferendum sibi posset adiungere.

Perquam venuste cecidisse] Omnes libri veteres, etiam Mediceus, *cecidisse*. vnus tantum, *cedisse*. placet, *cecidisse*: ex more Latine loquendi.

Vsque eo] Videtur dictum pro, *vehementer.*

Nihil consilio facit] Fuit enim ingenio turbulento, de quo Velleius lib. 2. c. 48. *Curio, vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico. Cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllae, neque cupiditates sufficere possent.* Et Suetonius in Iulio c. 29. *violentissimum tribunorum* appellat.

Ratione et insidiis] Si vel vnus suffragaretur antiquus liber, legem libenter: *ratione et consilio*

usus videretur in euitandis eorum insidiis. Quo modo locutus est lib. 5. in Ver. c. 10. *Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, et in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facilem sibi isle et iucundum ratione consilioque reddiderit.*

In euitandis eorum consiliis ERN. *his consiliis*] Cum sequatur *qui, rectius videretur, eorum consiliis.* quid agas? Coelianum est. Similiter dixit in proxima epistola, *eorum odia, quae Hirrum premunt: pro, qui Hirrum premunt.*

Aduersarios] Postea, cum ab optimatibus ad Caesarem Curio desciuisset, ita in gratiam rediere, ut Curionis maxime tribuni plebis opera auguratum Antonius obtinuerit. de quo in Phil. 2. c. 2.

Laelios et Antonios] Cum de Caesarianis loquatur, qui Curioni, Caesaris inimico, (ut quidem tunc aut erat, aut videbatur) in petitione tribunatus aduersarentur, malim *Lollios*, pro *Laelios*. nam Laelii Pompeiani: quod ex libris Caesaris de bell. ciu. cognoscitur. Antonius autem quaestor Caesaris erat in Gallia, et post annum tribunus plebis acerrime Pompeianis Caesarem oppugnantibus, restitit, intercessitque ne senatus consultum de Galliarum successione fieret. Notam opinionem de *Laeliis* in *Lollios* mutandis adiuvat locus lib. 5. epist. 3. nam ubi, *Lollium*, legitur, non defunt scripti libri, qui habeant, *Laelium*, errorem creante nominis similitudine, et quod notiores Laelii, quam Lollii.

Id genus valentes] Pro, *suis generis.* *Valentes* autem vocat, animo et vigilantia praestantes.

In dies] Designatis enim iam tribunis plebis et consulibus, reliquorum creatio magistratuum duci valde non poterat.

Praetoriis] Praetoria comitia fieri statim post consularia solita sunt: sed obstitit nescio quid. auspicia quidem impedimento esse non potuerunt: cum praetoria, ut Gellius lib. 13. c. 14. docet, iisdem, quibus consularia, fierent; consularia vero facta iam essent.

Mea porro comitia quem euentum sint habitura] Sic antea in omnibus impressis. nos vocem, *comitia*, sustulimus, quae subintelligitur; ut etiam cum dicit, *praetoriis morae quaedam inciderunt*.

Opinionem incredibilem] Optima signa vidimus propensae in me, alienae autem ab Hirro populi voluntatis.

Aedilium plebis] Qui ante curules ideo creabantur, quod quasi tribunorum plebis ministri ab initio essent instituti, ut Dionysius et alii testantur, quod si tribunorum plebis causa creati; consentaneum est, ut statim post eos crearentur, id est ante consules, et reliquos magistratus.

Nacta sunt] Quia candidati, antequam sua comitia fierent, aliorum quoque magistratuum comitiis prensabant, ut populi voluntatem elicerent; qua perspecta, vel confirmarentur in spe, vel, si quid esse adversum intelligerent, aliqua ratione mederentur; propterea comitiis tribunitiis, qui candidati consulares erant, prensarunt Galba, Antonius, Cornificius: quod ib. 1. ad Attic. epist. 1. scriptum est. Sic igitur et Coelius Hirrusque cum aedilitatem curulem pete-

rent, aedilium plebis tamen comitiis prensarunt.

M. Coelium Vicinianum ERN. *Vicinianum*] Adoptatum in Coeliam gentem; cum ex Vicinia natus esset. Verum, ne celem quod sentio, *Licinianum*, vna tantum littera immutata, potius quam *Vicinianum*, legendum existimo, adductus in hanc opinionem primum hoc argumento, quod hic, qui de dictatore Pompeio cogitavit, varie nominatur, *Lucilius* a Plutarcho, *Vicinianus* ab Hirtio de bell. Alex. c. 77. *Crassus Iunianus* ab ipso Cicerone lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. et in Sigonii vetere libro *Memmianum*, non *Vicinianum*, legi video: ut ipsa varietas mendii suspicionem afferat: deinde, quod, cum *Crassus Iunianus* a Cicerone appelletur, et *Crassus* Liciniae gentis cognomen fuerit, licet intelligere, vel eum ex Licinia gente, vel in Liciniam adoptatum, unde Crassi cognomen acceperit. In Liciniam, qui potest? cum *Coelius* appelletur: non enim duarum familiarum nomina simul ponuntur, ergo ex Licinia in Coeliam: ut fiat *Coelius Licinianus Crassus*, vetere cognomine conservato: ut Scipionis cognomen retinuit is, qui Magni Pompeii focer vna cum eo consulatum gessit; cum tamen, a Q. Caecilio Metello Pio, ut Dio scripsit, adoptatus, ab adoptiuo patre praenomen, nomen, cognomen sumpsisset. itaque in senatus consulto, quod Coelius epist. 8. Ciceroni misit, *Q. Caecilius Metellus Pius Scipio* vocatur, et M. Lucullus, L. Luculli, qui de Mithridate ac Tigrae triumphavit, frater consobrinus, qui consul fuit cum C. Cassio Varo, cum ex Liciniis in Terentios transisset, vetere

vetere cognomine Lucullus, nouo autem Varro nuncupatus est. Sed, vt nouo praenomine semper, vetere abiecto, sic vetere cognomine non illi quidem semper, sed frequentius, quam nouo, utebantur. exemplo sunt, ne alios quacramus, ii duo, quos proxime nominauimus: quorum alterum semper Lucullum, numquam Varronem, alterum saepissime Scipionem vnico cognomine, interdum gemino Metellum Scipionem, numquam Metellum simpliciter vocatum meminimus. Accedit ratio temporum, vt idem esse videatur, qui nunc aedilitatem cum Hirro petit, et qui tribunus plebis cum eodem designatus est, in ea ad Quintum epistola. Ergo et hic, *Coelium Licinianum*, non *Vicinianum*, et in epistola ad Quintum, *Crassum Licinianum*, non *Iunianum*, rectius legi crediderim. aequis tamen iudicibus tum hoc, tum omnia, quae a nostra proficiuntur industria, libenter committimus. Cum haec scripserim, ostendit mihi vir eruditissimus Fuluius Ursinus nummum argenteum, in quo mentio fit Coelii Viciniani: alterum, in quo P. Crassi Iuniani. fortasse potest hic esse P. Coelius Crassus Iunianus, qui ex Iunia Crassorum gente adoptionis iure transierit in Coeliam.

Promulgatio de dictatore] Domitio et Appio coss. cum magnis candidatorum consularium contentionibus extracta in annum sequentem comitia essent, desperata propemodum concordiae spe, ortus est de dictatore sermo: quod vnicum difficillimis reipublicae temporibus remedium maiores innuerant. nec dubium, quin Pompeius crearetur,

honoribus et rerum gestarum gloria clarissimus. de quo sic lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. *Res proleto: ad interregnum comitia adducta. Rumor dictatoris iniucundus bonis: mihi etiam magis, quae loquuntur. Sed tota res et timetur, et refrigescit. Pompeius plane se negat velle: antea ipse mihi non negabat. — velit, nolit, scire difficile est.* Dictaturam tamen ab eo recusatam, Dio significat lib. 40. Appianus eum, suo more dissimulantem, verbis quidem dictaturam recusasse, re ipsa cupisse, lib. 2. de bell. ciu. narrat. idem et Plutarchus.

Subito deiecit] Subaudiendum, *aedilitate*: vt in orat. pro Murena c. 36. *praetura deiectus est*: et Act. 1. in Ver. c. 8. *Si me aedilitate deiecissent.* Hoc enim dicit: Coelium Licinianum, cum petere coepisset, reuocata legis ab eo de dictatore promulgatae memoria, statim aedilitate deiecit.

Insecuta est] Numquam ita Cicero loqueretur. quid enim hoc est? *promulgatio de dictatore deiectum magno clamore insecuta est.* cum hoc significet: primum populus ei petenti vulgo negauit: deinde magui clamores in eundem consecuti. Et sane, cum hic Coelius, qui *Lucilius* in Plutarchi Pompeio mendose, vt puto, nominatur, rogationem de dictatura Pompeio mandanda ferre conaretur, incurrit in odium ciuitatis; nec longe abfuit, quin magistratu se abdicare coactus sit. Plutarchus.

Non faciendum] Alii, *ad non faciendum*: eadem sententia. Deiecto, inquit, Coelio, cuncti flagitare Hirrum coeperunt, ne faceret,

d est, ne peteret aedilitatem. haec est enim illa incredibilis opinio, quam proxime dixit sua comitia naeta esse aedilium plebis comitiis.

Flagitare] Historico more, pro *flogirabant*.

Quod sperasti] Me designatum aedilem.

De illo, quod vix sperare ausus es] Non modo illum non esse designatum, quod sperasti, sed etiam, quod vix sperare ausus es, urpissime deiectum. Urbane et perfacete ad hunc locum Cicero respondit lib. 2. epist. 10. ludit enim in verbo, *illo*; et, cum eandem sententiam referret, inquit: *de te, quia quod sperabam: de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram.* De Hillo, dixit, ioco, ut opinor, duplici, nam et *Hirrum*, balborum more, mutatione litterarum pronunciauit; et alludit ad Coelii verba, qui scripserat, *de illo*: pro quo retulit, *de Hillo*. quod a Graecis inter ea, quae risum excitant, *παρρηγορία* vocatur. lib. 7. epist. 32.

Ad Apollinis] *Ἀττικισμός*: pro, aedem Apollinis. lib. 14. epist. 2. *Ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestae ad tabulam Valerianam ducta esset.* Et pro Milone c. 33. *Cum falceibus ad Castoris, eum gladiis toto foro volitarunt.*

De stipendio Cn. Pompeii] Quod legionibus persolueret, quas partim habebat in Hispaniis cum tribus legatis, Afranio, Petreio, Varrone, partim Arimini: sequitur enim paullo post, *Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus*. hac de re epist. 14. Caesar quoque de-

cretum stipendium, dixit lib. 1. epist. 7.

Expensum tulit] Tradidit, nam, *expensum ferre*, est, in tabulas referre, quod expensum ac datum alicui sit. sic in Phil. 6. c. 5. *Quis unquam in illo lano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum?* Exemplorum alibi satis est.

C. Caesari] Cum Caesar in Gallia saepe acie victor, maiorem tamen motum, ut inquieti illius erant nationis ingenia, multis de causis expectaret, ab Cn. Pompeio proconsule petiit, quoniam ipse ad urbem cum imperio reipublicae causa maneret, quos ex cisalpina Gallia consulis sacramento rogauisset, ad signa conuenire, et ad se proficisci iuberet. quod Pompeius et reipublicae et amicitiae tribuit. Hoc apud eum totidem verbis lib. 6. de bell. Gall. c. 1. scriptum est. Hirtius autem sic lib. 8. c. 54. *Fit senatus consultum, ut ad bellum Parthicum legio una a Cn. Pompeio, altera a C. Caesare mitterentur: neque obscure hae duae legiones uni Caesari detrahuntur. Nam Cn. Pompeius legionem primam, quam ad Caesarem miserat, confectam ex delectu provinciae Caesari, eam tamquam ex suo numero dedit. Caesar tamen, cum de voluntate aduersariorum suorum se expoliari nemini dubium esset, Cn. Pompeia legionem remisit. Plutarchus etiam in Pompeio repetitam eam legionem ait simulatione belli Parthici. quod a Dione quoque lib. 40. traditum est.*

Quo numero esset] Post C. Marium sena millia peditum summus in legione numerus fuit, minor inter-

terdum;

terdum; quod aliquam ob causam legio esset infrequentior. ideo facta mentio est, quo numero esset ea, quam Caesari Pompeius commodaverat. sed in ea peditum sena milia fuisse, ex Plutarcho perspicuum fuit, qui M. Catonem de Pompeio questum esse narrat, quod sex milia militum ad Caesarem sine senatus auctoritate in Galliam misisset.

Quo appeteretur] Quo numero tribui deberet. Sigonii liber vnus, *appeteret*: quod non placuit.

Coactus esset] Nam ipse libenter simulabat: ideo non nisi coactus dixit, se ex Gallia legionem eam abducurum. lib. 1. epist. 5. *Nosti hominis tarditatem et tacurnitatem.*

Sub mentionem] Post mentionem de ea legione factam.

Conuicium] Efflagitationem. nam *conuicium* non modo maledictum est, sed etiam vehementior sine intermissione postulatio. vnde illud in lib. 2. ad Q. Fr. epist. 11. *Epistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui.* Et in orat. pro Archia c. 6. *Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc nomine delectemur? Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures conuicio desefcae conquiescant.* *Conuicio*, pro multis vocibus multoque clamore, dixit.

Obtrectatorum] Fortasse Cato, Bibulus, Domitius Ahenobarbus, Caesaris inimici, Pompeio ob eam causam obtrectabant, quod Caesar legiōem de suo exercitu commodasset. non enim, obtrectatores hic appellari Caesaris amicos, verisimile videtur: qui certe de remo-

venda ab eo legione mentionem numquam intulissent.

Hoc est, de prouinciis] Glossema non puto: sed actione de prouinciis Gallias quoque, actione autem de Galliis contineri simul et comprehendi prouincias omnes, docet.

Placitum est] *Antique*, pro *placuit*: vt, *licitum est*, pro *licit*: *puduit est*, pro *puduit*. Cicero lib. 4. in Ver. c. 1. *Nego ullam picturam neque in tabula, neque textili fuisse, quin conquiescit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit.* Et D. Brutus lib. 11. epist. 1. *Placitum est mihi, vt postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris.* Et Pompeius in epistola ad consules, lib. 8. ad Attic. 12. *Placitum est mihi, vt Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo.* Muliebri genere Terentius in Andr. Act. 4. Sc. 1. v. 21.

— *Postquam me amare dixi, complacita est tibi.*

Eodem modo, *puduit esset*, pro *puduisset*, dixit Cicero pro Flacco c. 22. et lib. 2. de Fin. c. 13. *Quos non est veritum ponere, pro, qui non veriti sunt ponere.* Terentius in Andr. Act. 2. Sc. 6. v. 12.

— *Dum licitum est ei, dumque aetas tulit,*

Amauit. —

Quo loco Donatus, *veteres*, inquit, et *placitum*, et *puduit* dicebant: quae nos, *placuit*, *puduit*.

Coram eo] Quo modo, coram eo, cum Pompeius, quia cum imperio erat, urbem introire non posset? Sciendum, eos qui cum imperio erant, petiisse interdum a senatu, et obtinuisse, vt saluis legibus ingredi urbem possent. itaque laudauit

Jauit Sextium, de vi reum, praefens Pompeius, cum iudicium in foro fieret, Marcellino et Philippo coss. quo anno eum fuisse cum imperio, suscepta annonae cura, notum est. lib. 1. epist. 9. Nonnumquam etiam, ut iis qui ad urbem cum imperio erant, liceret interesse, extra urbem senatus habebatur, ut biennio post, belli civilis initio: quod a Caesare lib. 1. de bell. ciu. c. 6. scriptum legimus.

Ariminum] Situm in extrema Italia, non ea, quam Alpes cingunt, qui naturae terminus est, sed ea, quam a Gallia cisalpina populus Romanus Rubicone fluuio disiunxit. citra Rubiconem autem primum opidum Romam euntibus, ultimum in Galliam, Ariminum occurrit.

Ad exercitum] Cuius ipse imperator erat. manebat enim ad urbem reipublicae causa cum imperio: quod Caesar lib. 6. de bell. Gall. c. 1. alique tradiderunt: per legatos absens Hispanias administrabat, mandatas ei lege primum Trebonia in quinquennium, deinde altera, quam ipse tertium consul tulit, in alterum quinquennium prorogatas. Dio lib. 40. Plutarchus, alii.

Actum ERN. Factum iri] Vilitatius erat, *actum iri*. quo modo et ipse de eadem re locutus est epist. 9. *De provinciis*, inquit, *quod tibi scripseram*, *Idibus Sextil. actum iri*, *interpellat iudicium Marcelli, consulis designati*. Nec paucis praeterea confirmatur exemplis.

Aut transfigetur aliquid, aut turpiter intercedetur] Aut senatusconsultum fiet de imperio iis, qui pro-

vincias obtinent, finiendo, idque potissimum Caesaris causa: aut a tribunis plebis Caesarianis turpiter intercedetur. intercessum autem a quattuor tribunis plebis in epist. 8. demonstratur. Et cum ait, *turpiter*, sentire se pro optimatibus indicat. sed anno sequenti, cum aeditatem gereret, se mutauit, vel Appii censoris odio, vel Curionis tribuni plebis amicitia. epist. 12. 13. 17.

Illam vocem] Ex qua intellectum est, vel transactum iri aliquid, vel tribunos plebis intercessuros esse.

Omnes] Ergo et Caesarem: si senatus ei succedendum censuisset.

Senatui dicto audientes esse] Pro, *senatui parere*. sic pro Decioraro c. 8. *Qui dicto audientes in tanta re non fuissent*. Et Phil. 7. c. 1. *Scilicet legatos ad eum misimus, non ut pareret, et dicto audiens esset huic ordini, sed ut condiciones ferret*.

Nihil expecto] Proxime, se non expectare nihil, affirmavit his verbis: *profecto aut transfigetur aliquid, aut turpiter intercedetur*. quid igitur, an secum pugnat Coelius? diuersa sententia est. nam hic ait, *nihil expecto*, pro, Caesarem senatui dicto audientem fore nequaquam puto.

Primum] Primi consules designati sententiam rogabantur: eorum autem prior, qui priore loco designatus erat. ideo Marcellinus, consul designatus, primus sententiam rogatur: secundo autem loco Philippus, eius collega, quod secundo loco designatus esset. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 1.

Syngra-